



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 138. Atrox pugna inter Austriacos & Venetos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII.  
A. C. 1616.

§. CXXXVIII.

*Atrox pugna inter Austriacos & Venetos.*

*Merc. Gal-  
lob. tom. II.  
l. 2.  
Hist. d' Hol-  
lan. Neuwil.  
tom. I. p. 107.*

Frustratis igitur pacis consiliis acrioris belli studia exarserunt utrinque, & primo quidem Cæsar edictum promulgari iussit, quo vetitum, ne miles in Austria nisi pro Ferdinando Græciensi Archiduce conscriberetur, Austriacus vero Bellidux Trautmansdorffius duodecima Maji die copias suas recentibus supplementis auctas eduxit, trajecto fluvio Lucinium præsidio firmaturus: comperto hoc consilio mox Veneti cum valido agmine Austriacis obviam processere, ast cum ad pugnae necessitatem ventum esset, cæsis utrinque octingentis circiter, Veneti pedem referre coacti sunt: Haud magis prospero successu Goritiam urbem cinxere, tandem re infecta recedentes: Cum ergo crebris, nec incruentis velitationibus, præliisque ipsorum exercitus valde truncaretur, a Fœderatis Belgii ordinibus suppetias petebant, necnon præter proscriptos, captivosque, quos ex ergastulis exilioque solverunt, ac sub signa composuere, Achmetem quoque Turcarum Imperatorem rogarunt, ut Christianorum, qui sub ejus Imperio degerent, delectum haberi permitteret: An-  
nuit

nuit Imperator, eo quod caussa belli Sæc. XVII.  
 propter Uscochorum prædandi licen- A. C. 1616.  
 tiam suscepti, communis utrique esset,                       
 nec etiam Venetis Ottomanici auxilii  
 periculum vitio verti posset, cum præ-  
 fertim non Religionis id, sed Regionis  
 duntaxat bellum foret.

Interim tam Styriaci, quam Vene-  
 ti loca pleraque finitima mutuis direptio-  
 nibus exhauriebant, incendiisque, at-  
 que omni vastitate desolabant, circum-  
 que Goritiam quotidiana prælia cum  
 Austriacis, & cædes alternabant: con-  
 tra Græcienses quoque arma vertentes  
 Triesta incassum oppugnata, Lucinium  
 ad deditionem compellebant, Goritiæ  
 obsidionem solvere coacti. Inde vero  
 plurimum utrinque sanguinis ac stragis  
 sequebatur, ac Pompejus ipse plumbea  
 glande trajectus occubuit, suffecto Jo-  
 anne Medicæo. Zorsius quoque Vene-  
 ti Equitatus Dux Lindaram arcem,  
 aliasque urbes, necnon Santus Venetæ  
 classis Architalassus Marlanum & Ca-  
 rolovum vi occupatum, non sine locu-  
 plete præda, & cum plurium incola-  
 rum cæde depopulabatur. Ita hucusque  
 nonnisi velitaribus pugnis, ac popula-  
 rium ruinis res acta, tandem vero res  
 ad aciem præliique summam deducta  
 est, cujus initium fecerat Tampierius  
 Comes Trautmansdorffio ab Archiduce

Sæc. XVII. adjunctus, qui die Novembris undevigesimo, noctis beneficio, Romanium oppidum adorsus, illud quassatis mœnibus, vallisque refulsis expugnabat, Hungaris in urbem irrupentibus, nulloque discrimine, quicquid obvium eorum furori erat, trucidantibus. Prosper primæ expeditionis successus Tampierio acrioris pugnæ, quæque victoriam sequitur, gloriæ campum aperuit, eo quidem tempore, quo Veneti ob Medicæi novi sui Imperatoris adventum in Mariano oppido, inter festivos tubarum concentus, & ludicos tormentorum fragores tripudiare audiebantur; hoc enim strepitu concitatus omnis Austriacus Equitatus e castris erumpit, superatisque fluminibus ad Venetorum castra, cunctis nil tale cogitantibus, penetrat. Inexpectatus hic hostium adventus Venetis festinum pugnandi ardorem inspirabat. Evolat igitur nulla mora e castris Equitatus Venetorum universus, fit acris, ardensque primo velitatio, paulo post prælium quoque cruentum ac pertinax, alternante victoria & strage: tandem vero Germanis, atque Heiduccis toto impetu irruentibus, fatiscentes Veneti retrocedunt, ac desideratis suorum quamplurimis palmam Austriacis relinquunt, ne vero inulta esset suorum clades, die  
decima

*Sleid. Rediv.*  
*pag. 1476.*  
*1484.*

decima sexta Decembris Cafrida erumpentes, totam circum regionem flamma & igne vastant, haud mitius in quinque Monfalconensis tractus Pagos grassantibus Heiduccis. Præterea Veneti, ut suppetias Carinthiorum a Ferdinandi exercitu abscinderent, Pontafellam Alpinarum faucium claustrum occupare moliuntur: non latuere tamen Austriacos hæc eorum consilia: unde valido milite locum firmare, Venetosque faucium ingressu prohibere satagunt, eosque aditum tentantes foepius repellunt, non sine opima reversi præda, præcipue copia vini Malvatici, quo tamen largius hausto Teutones, Pannonisque computationibus innatantes, suisque lectis immerfi, Venetis irruentibus, claustra Pontafellæ turpiter reliquerunt.

## §. CXXXIX.

*Religio Catholica variis in locis oppressa, in aliis propagata.*

Sub idem ferme tempus Constantino-  
poli in Apostolicos variæ Professio-  
nis Viros accerrima concitabatur vexa-  
tio; licet enim Turcæ, Schismaticos ad  
Ecclesiæ unitatem revocandi facultatem  
Missionariis indulgeant, omni tamen  
legum severitate in eos animadvertere  
solent,

*Abrege de  
Hist. Eccles.*